

Exercitatio academica de triplici cognitione humana / [Johann Christoph Emanuel Lindner].

Contributors

Lindner, Johann Christoph Emanuel.
Spiess, J. A.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorf : J.G. Meyer, 1748.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ebnas9j5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO ACADEMICA
DE

TRIPLICI COGNITIONE
HVMANA

QVAM
SVB PRAESIDIO
VIRI

AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DN. IOHANNIS ALBERTI SPISII
IVRIS VTRIVSQUE ET PHILOS. DOCTORIS
POLITICES LOGICES ET POESEOS PROF. PVBL.

FAVTOVIS AC PRAECEPTORIS SVI
AETERNVM COLENDI

IN ORDINE CIRCVLARI

D. XXX MARTII A. C. MDCCXLVIII

AD DISPVTANDVM PROPNIT

A. R.

IOANNES CHRISTOPHORVS EMANVEL
LINDNERVS

RATISBON.

PHILOS. ET S. S. THEOLOG. CVLTOR

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI VNIVERS. TYPOGR.

58700 (9)



VIRIS ILLUSTRIBVS
ET
MAGNIFICIS
PRAENOBILISSIMIS PRAESTRENTIS
AMPLISSIMIS
AC
PRUDENTISSIMIS,
S. R. I. LIBERAE
CIVITATIS RATISBONENSIS
PROCERIBVS
PATRIBVS PATRIAE
PROVIDENTISSIMIS
AC
MVNIFICENTISSIMIS
DOMINIS ATQVE PATRONIS
SUBMISSE DEVENERANDIS
SPECIMEN HOC ACADEMICVM
PRO VIRIVM MODVLO
ELABORATVM ET DEFENSVM

AD DECLARANDAM PIETATEM GRATVMQVE
PRO TOT BENEFICIIS
PER BIENNIVM SIBI COLLATIS
ANIMVM
CVM VOTO ARDENTISSIMO
OMNIGENAE FELICITATIS
SALVTIS PERPETVAE
AC
PACIS EXOPTATISSIMAE
IN
REIPVBLICAE INCREMENTVM
ET
RELIQVORVM CIVIVM
SOLATIVM AC COMMODVM
EA QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE
OFFERT AC DEDICAT
EORVMQVE PATROCINIO ET BENEFICENTIA
SE ET SVA LITTERARVM STVDIA
IN FVTVRVM QVOQVE ENIXE COMMENDAT
AVCTOR RESPONDENS.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
 TRIPLICI COGNITIONE HVMANA.

PRAEFATIO



ITa plerumque fieri solet, ut nova, quae praesertim a magnis atque claris viris proferuntur, cogitata et inventa pluribus placeant, et vel ipsa novitate sua non parum abblandiantur; quamvis accuratiori examini subiecta identidem, si non falsa, attamen minus solida, minusque circumspēcte aut concinne proposita, appareant, neque auctoritatis, neque novitatis praeiudicio occaecatis, sed solius veritatis studio et amore ductis, omniaque aequa mentis lance ponderare solitis. Ut alia huius rei exempla iam taceam, ex historiae litterariae penu facile depromenda; nemini certe, qui Philosophiam vel saltem Logicam recentiore tantum a limine salutavit, ignota esse potest tripartita illa cognitionis humanae divisio in **historicam, philosophicam, et mathematicam**: quarum illa quidem ipsas res et facta, ista causas rerum ac rationes sufficientes, haec quantitatem, menti perspectas reddat atque exhibeat. Quam divisionem, a Viro dignitate non minus et fama, quam eruditione ac meritis in Philosophiam et Matbesin illustri, CHRISTIANO WOLFIO, primum, quantum constat, in medium allatam, magno applausu et communi fere consensu, non illi solum adoptarunt, qui placita Viri celeberrimi pressō pede, et interdum superstitiosus, quam par est, sequuntur; sed alii quoque, qui liberiori et eclectica philosophandi ratione utentes, summum etiam virum nonnunquam humani quid passum esse agnoscunt atque profitentur: e quorum numero unum nunc allegasse sufficiat V. C. FRID. CHRISTIANVM BAYMEISTERVM, qui in Institutionibus Philosophiae rationalis,

nalis, statim ab initio, triplicem illam cognitionem humanam explicavit, eandemque ad ipsam philosophiae notionem melius intelligendam plurimum facere arbitratus est. At enimvero et in hac doctrina sunt, quae calculum neutiquam merentur, nec divisio ista satisfacere potest animo veritatis cupido, et maxime ἀξιόβειαν in docendo atque meditando sectanti: id quod praesens dissertatio dilucide ostendet atque probatum dabit. Equidem non is ego sum, neque tanta mihi est ingenii aut virium fiducia, ut ipse tot ac tantis viris contradicere, illisque quasi rectius sapere audeam, quippe meae mihi tenuitatis probe conscius. Sed nemo tamen, aequus rerum arbiter, mihi vitio, ut spero, vertet, quod, cum iam quaecumque studiorum meorum specimen edere, eoque Maecenatibus et Patronis diligentiae ac temporis bene collocati rationem reddere debeam, pro ea, quae in republica literaria unicuique merito salva est, iudicandi, et ab aliis, quantumvis magnae auctoritatis, modeste tamen, dissentendi libertate, in hoc potissimum argumento vires periclitari, eaque, quae **Excellentissimum DOMINUM PRAESIDEM**, in scholis suis atque commentationibus, quibus Logicam Baumeisterianam subinde illustrat, de triplici cognitione humana monentem atque differentem audivi, nunc repetere, et, exercitationis academicae causa, ad disputandum proponere, vel ideo apud animum constituerim, quod illa quidem prae aliis breviter ac perspicue a me explicari et defendi posse haud temere confidam. Duabus autem Sectionibus totam hanc opellam absolvere placet: quarum prima de cognitione in genere, eiusque variis divisionibus, pauca delibabit; altera vero dein ipsam doctrinam de tripertita cognitione supra memorata, ex mente celeberrimorum Auctorum, accurate exponet, atque ea, qua decet, modestia solide diiudicabit; ac denique aliam, et eam pariter trimembrem, cognitionis humanae divisionem in prioris locum substituet. **DEVS** faveat coeptis, eaque dirigat ad sanctissimi Nominis sui gloriam, et meam simul ac aliorum commodum et utilitatem.

SECTIO I GENERALIS.

§. I.

VNusquisque per experientiam et sensationem internam convictus novit, esse in nobis aliquod ens, quod sibi sui et aliarum rerum extra se positarum consci-
um est, quodque *animam* seu *mentem* vocare sole-
mus; mentemque istam a DEO, omnium rerum conditore, duplici cum primis facultate instructam esse: una, qua res percipit, de rebus iudicat, et ratiocinatur; altera, qua res appetit vel averfatur: quarum illam *intellectum*, hanc *voluntatem*, appellare moris est.

*Mentis
definitio,
et facultates
prae-
cipuae.*

Vtrum mens a corpore diversa sit, nec ne, in praesenti disquirere, nec vacat, nec opus est: prius tamen in psychologia sufficienter demonstratur. Neque tertiam facultatem, nempe *locomotivam*, reliquis hic addere placet: cum eius existentia non aequae clara et extra dubitationem posita sit, certe non ab omnibus agnoscat: quamquam affirmantium sententia nobis videatur verior.

§. II.

Percipere dicitur mens, cum ipsi aliquid repraesentatur: id quod, experientia teste, duplici contingit modo. Aut enim mens ipsa repraesentationis auctor est, eamque *agendo* producit; aut *passive* tantum se habet, et repraesentationem aliunde excitatam solummodo recipit vel admittit.

*Perceptio
quid et
quotu-
plex?*

§. III.

Perceptiones mentis passivae dicuntur *sensationes*; activae *cogitationum* nomine veniunt, suntque vel cum comparatione, et subsequente assensu aut dissensu, coniunctae: et tunc peculiari nomine *iudicia* appellantur; vel merae atque solae perceptiones.

*Quid sen-
sio, cogi-
tatio,
iudicium?*

§. IV.

§. IV.

Quid ratiocinatio?

Iudicia porro , vel *simplicia* sunt , et ex duarum tantum perceptionum , seu , uti alias vocantur , idearum comparatione nascuntur ; vel *composita* , ex trium pluriumve comparatione orta , quae novo rursus atque speciali nomine *ratiocinia* audiunt.

§. V.

Quid recordatio, memoria, et ingenium?

Denique perceptiones , sive activae , sive passivae , vel primae sunt , vel repetitae. Posteriores , siquidem activae sint , dicuntur *recordationes* ; et potentia ideas , quandoque et quas volumus , promte repetendi , *memoria* audit , quae hoc sensu intellecta , etiam *ingenium* sub se comprehendit : quippe quod ex usu loquendi nihil aliud notat , quam facultatem ideas apte et concinne repetendi atque combinandi.

Haec de mente, eiusque altera facultate, nempe intellectu, proponere ideo consultum duxi, quod ea ad naturam cognitionis in genere explicandam non parum omnino faciunt. Exemplis autem haec omnia illustrare, brevitatis gratia, superfedemus.

§. VI.

De variis vocis cognitionis significatibus.

Prima ambiguitas.

Quod igitur iam ad ipsam cognitionem attinet , cuius indolem nunc paucis describere ordinis ratio iubet ; ante omnia evolvendi hic sunt varii *cognitionis* significatus , et triplex , quae in hac voce occurrit , ambiguitas. Primum enim , id quod cum aliis pluribus commune habet , vel *generaliter* et in *latiori* accipitur sensu , ita , ut omnes modo dictae intellectus operationes , perceptio nimirum , iudicium , et ratiocinium , cognitionis nomine comprehendantur : unde et haec ipsa *facultas cognoscitiva* ab Ill. WOLFIO , aliisque , hodie nominari consuevit ; vel *speciatim* et in *stricta* significatione , ut , exclusis reliquis , ad primam et perceptionem tantum referatur , ut cum *prius cognoscendum aliquid*,

aliquid, quam de eo iudicandum esse, dicimus, et sententiam cognitio praecedere, apud Ictos statuitur: quae verba sunt ROETENBECCII, in *Log. Vet. et Nov. Qu.* 177. Neque tamen, ut vir ille quondam doctissimus putavit, simpliciter idem notat, aut perceptioni aequipollet, cognitio stricte dicta; sed, quod studio et significanter dixi, ad perceptionem tantum refertur: id quod ex altera, quae iam sequitur, quamque in ipso verbo *cognoscendi*, unde cognitio derivatur, observare licet, ambiguitate clarius patebit. Scilicet *Secundae* *cognoscere*, aequae ac simplex *noscere*, proprie quidem et primario, nihil aliud significat, quam *discere*, seu, *nosse incipere hactenus ignota*: ut recte BASILIVS FABER, in *Thesauro erudit. scholast.* annotavit; ubi et hanc notionem, cum exemplis, tum maxime auctoritate Donati, veteris scholiastae, ad *TERENT. Eun. V, 2. 7.* probatam videre licet. Non raro tamen etiam *secundario* et *μετ' οὐνοῦ*, *cognoscere* idem est, ac *scire*, *tenere*, *perspectum et exploratum habere*: quae significatio, ut alia exempla omittam, inprimis locum obtinet, quando *DEVM* omnia *cognoscere* dicimus. Similiter ergo et nomen *cognitionis*, plerumque et potissimum non nisi *actum* denotat, et primum illum quidem, per quem notitia rei menti imprimitur; interdum vero *habitum* inde ortum, seu ipsam notitiam, ut cum e. g. aliquis *cognitione imbutus*, aut *destitutus*, esse dicitur. Denique et illud observandum, *co-* *Tertia:* *gnitionem*, more aliorum eiusmodi nominum verbalium, nunc *activam* habere significationem, nunc *passivam*; seu, quod hic idem est, nunc *subiective* accipi, nunc *obiective*. Prior illa significatio satis frequens et usitata est: altera rarior quidem, in nonnullis tamen loquendi formulis occurrit; ut quando, *cognitionem nostram imperfectam ac finitam*, *cognitione aliis inservire*, recte uti vel abuti, dicimur; itemque cum *cognitionem revelatam* nominamus; et similibus: in qui-

bus omnibus vox *cognitionis*, non pro actu aut habitu cognoscendi, sed pro eo, quod cognoscitur, satis manifeste ponitur.

§. VII.

Cognoscere
et cognitio
in genere
quid signi-
ficet?

Licet vero haud exigua, nec obscura, sit inter varios hosce significatus differentia: attamen, ex comparatione eorum, clarissime patet: 1) omnes reliquos a propria et originaria notione quodammodo pendere, eandemque respicere; et hinc vocabulum cognitionis inter *analogia* potius, seu, ut veteribus Aristotelicis dicta sunt, *communia ab uno*, quam *ὁμώνυμα* et *aequivoca*, referendum esse. 2) cognitionem, quoquo modo sumatur, respectum ad perceptionem involvere; adeo, ut etiam in lata illa significatione ad ceteras intellectus operationes non aliter extendatur, quam quatenus ipsa quoque perceptio late dicta iudicia et ratiocinia complectitur. (§. 3. 4.) Neque tamen 3) indistincte quasvis perceptiones hoc nomine designari, sed primas tantum. (§. 5.) Atque adeo, si iam vim vocis accurate definire et exprimere velimus; cum omnis perceptio in repraesentatione rei in mente consistat (§. 2.): *cognitio generatim nihil aliud esse potest, quam actus ille, per quem repraesentatio rei primum in mente existit; et cognoscere rem dicimur, quam primum ea menti repraesentatur. Si quis tamen ad notionem secundariam, et ad repetitas simul perceptiones, potius respicere velit; aut, utramque coniungendo, cognitionem per actum vel habitum rem repraesentandi definiendam existimet; is nos quidem facile consentientes habebit: cum neutra harum notionum instituto et proposito nostro repugnet, quamvis primaria illi maxime videatur conveniens.*

Aliorum
variae de-
finitiones.

Ita nimirum ipse Excellentiss. DOM. PRAESES, in *Positionibus philosoph. de Philosophia in genere*, 1733 et 1734, disputatis, n. LXVI, *cognitionem generatim dixit illam mentis nostrae, vel alius entis intelligentis, virtutem, qua res et earum variae relationes ipsi praesentes.*

sentes sistuntur. Sic etiam WOLFIVS, *Metaph.* §. 278: *So bald wir uns eine Sache vorstellen können, so erkennen wir sie.* Quae definitio a nostra illa priore non nisi in eo differt, quod cognitionem ut habitum describat Vir Illustris, nos ut actum. BAVMEISTERI vero definitio, *Instit. Metaph.* §. 490. magis ab eadem recedit: tum quod perceptionibus etiam repetitis convenit; tum etiam quod cognitionem *actionem* mentis vocat, quam nos per *actum* definimus, quae duo, ut ex Ontologicis constat, non simpliciter unum idemque sunt. Celeberr. REVSCHIVS, *Metaph.* §. 326. quoad posteriorem definitionem *res cognoscere*, ex asse nobiscum conspirat: in priore autem, nempe *cognitionis*, ex parte Baumeistero consentit, ac praeterea ad secundariam notionem simul spectare videtur, dum illam *etiam statum animae esse* dicit, *quo notiones et ideas habet.* Ceterum, si quis definitionem cognitionis generalem, quae divinam quoque comprehendat, desiderat; is eam levi mutatione ex nostra facile poterit formare.

§. VIII.

Nominis definitionem nunc ordine excipit definitio rei. *Evolvitur notio cognitionis;*
 Vbi quidem observandum, cognitionis ideam ex earum esse numero, quae non nisi per reflexionem, sive sensationem internam, et abstractionem, oriuntur. Quando enim de cognitione DEI, aliorumque spirituum, cogitamus aut loquimur; idea cognitionis, quae iam in nobis est, ad DEVM, sicut plures aliae, tantum applicatur, non vero demum abstrahendo acquiritur. Certissimum etiam est, hanc notionem in omnibus utique hominibus tam claram esse atque distinctam, ut nemo facile definitionem cognitionis, utpote quae definito ne quidem clarior esse potest, a) valde desideraturus sit. Possem adeo et ego evolutione illius facile supersedere, nisi ea in sequentibus nobis usui esset futura. Quod si igitur iam attendamus ad ea, quae in nobis contingunt, dum cognoscimus, ut inde, sepositis iis, in quibus inter se differunt varia et infinita cognitionis exempla singularia, ea tantum mente retineamus, in quibus eadem conveniunt, id quod *abstrahere* vocamus; animadvertimus: 1) mentem, quando
 B 2 cogno-

cognoscit, semper aliquid vel agere, vel pati. Etenim, cum cognitio, quoquo modo sumta, respectum semper ad perceptionem involvat (§. 7.); omnis vero perceptio vel activa sit, vel passiva (§. 2.): consequens est, ut idem quoque de cognitione in genere valere debeat. Cum ergo actiones et passiones generatim nihil aliud sint, quam *modi* mentis seu *accidentia* (per princ. Ontol.): omnis etiam cognitio non est, nisi modus sive certa modificatio mentis. Et in hoc cum reliquis, etiam voluntatis actibus, (§. 1.) convenit; ut adeo genus definitionis merito constituat. 2) semper aliquid existere, ab illa actione mentis aut passione, vel re, vel ratione distinctum, *b*) quod cognoscitur, quodque *obiectum* cognitionis dici solet; 3) denique inter obiectum et ipsam perceptionem aliquam semper adesse debere convenientiam *c*): in quibus duobus momenti formalis ratio cognitionis consistit. Hinc vero iam sole clarius elucet, ideam hanc non absolutam esse, sed relativam, omnemque cognitionem *relatione* quadam constare, cuius *subiectum* sive *relatum* est mens, eiusque perceptio quaedam; *terminus* seu *correlatum* id, quod percipitur, sive obiectum; *fundamentum* denique, perceptionis illius cum hoc obiecto convenientia: quorum uno alterove cessante, ipsa quoque relatio et cognitio cessat (per princ. Log.). Vnde denuo patet, quod iam (§. 6.) dictum, non simpliciter unum idemque significare perceptionem et cognitionem, et quodnam proprie inter utramque sit discrimen. Scilicet omnis quidem cognitio perceptionem innuit; at non omnis perceptio cognitionis nomen meretur, sed illa demum, quae cum obiecto convenit. Habemus itaque iam definitionem cognitionis generatim spectatae, eamque realem, quae essentiam illius, saltem analogice dictam, accurate exprimit: quod nimirum cognitio sit *perceptio, adeoque certa quaedam modificatio mentis, ad aliud quid vel in mente, vel extra eandem, relata, et cum eo conveniens. d*)

Et relativa esse demonstratur.

Cognitionis definitio realis.

a) Hoc

- a) Hoc respectu etiam sine dubio Celeberr. D. D. FEVERLINVS, in *posit. philos. de ideis claris et obscuris, distinctis et confusis*, Altorf. 1733. ventilatis: *Quid sit cognoscere, inquit, scire, itemque, quid sit nescire, per internam experientiam omnes facile scimus, quamvis definire id nequeamus.*
- b) Res nimirum, quando mens res extra se positas, immo etiam, si alias suas actiones et passiones, imprimis voluntatis (§. I.), cognoscit: quando vero ipsas perceptiones suas cognoscit, sibi que repraesentat, obiectum a repraesentatione, non re, sed ratione solum, differt.
- c) Id quod vel ex eo patet, quod nemo unquam, de cognitione rei quamlibet falso persuasus, perceptionem suam cum re tamen convenire, non opinetur. Et cum perceptio in repraesentatione in mente facta consistat (§. 2.): quomodo, quaeso, repraesentatio rei dici posset, nisi rem exhiberet, cumque ea conveniret? Quis imaginem rei agnoscit, archetypo suo dissimilem?
- d) Erunt fortasse, quibus nimia videatur, qua in definienda cognitione haecenus usus sum, accuratio et sollicitudo. Sed hi quidem sciant, ideo id factum esse, ut exemplo hoc constaret, quomodo, ex nostra sententia, inter se differant definitiones nominales et reales; et qua ratione circa utrasque versandum sit, si legitimae et verae esse, nec pro arbitrio tantum formatae videri debeant. Cuiusmodi exemplum, circa definitionem *erroris*, etiam datum est in *dissert. de principiis errorum vitandis*, sub moderamine Excellent. Domini Praesidis 1738. habita, §. II -- VIII.

§. IX.

Ex haecenus dictis tria statim haec fluunt consectaria: *Quando et in quibus perceptionibus mens cognoscat, aut minus.*

1) ubi mens nec patitur, neque agit, nullam locum habere cognitionem (per n. 1. §. antec.). 2) cum sensationibus cognitionem nunquam non esse coniunctam: siquidem sensatio nunquam caret, nec carere potest obiecto, ac repraesentatio quoque, inde necessario orta, cum obiecto nunquam convenire non potest (§. 2. 3.); id quod cognitionem efficit atque absolvit (per n. 2 et 3. §. antec.). 3) vero cogitationes non semper cognitionis nomen ferre: quippe quae, cum a mente ipsa formentur, (§§. c c.) non solum ab obiecto discrepare, id est, *falsae*; sed et eodem prorsus carere, atque *fietae*, esse possunt, et, teste experientia, etiam saepissime sunt:

quod utrumque vero cognitioni manifeste repugnare, ex definitione praestructa nemo non videt.

§. X.

*Subiectum
cognitionis
quid, et
quotuplex?*

Cum igitur omnis cognitio relationem involvat inter subiectum et obiectum (§. 8.): ad eius indolem magis adhuc declarandam, nunc de utroque pauca monenda sunt, antequam ad species illius et varias divisiones progrediar. Scilicet *subiectum* cognitionis, quo nomine hic nihil aliud intelligitur, quam illud ens, quod cognitione gaudet, est mens, et quidem, secundum haecenus proposita, potissimum humana. Quia vero, partim ex ratione, partim ex revelatione divina, constat, dari adhuc alia entia, intellectu ac voluntate praedita, eoque menti nostrae similia (§. 1.) nempe DEVM et angelos; quae et ipsa *mentes* in latiori significatione, seu *intelligentiae a*), et usitatiori vocabulo *spiritus*, appellari solent: hinc recte iam et satis convenienter cognitionis subiectum generatim statuimus *entia intelligentia*, sive spiritus, mentesque adeo, sive humanas, sive divinam, et angelorum. Quid? quod nec bruta, quae vocantur, animalia omni prorsus cognitione destituta censeri debent cum non solum experientia contrarium satis testetur: quis enim dubitet, nosse v. g. canem, quando vapulat? sed et ipsae sacrae et diviniore litterae brutis cognitionem diserte tribuant, IESAI. I, 3. Quamquam haec brutorum cognitio humana, et multo magis divina, aliorumque spirituum, nimirum quanto inferior sit, et solis fere sensationibus ac recordationibus (§. 3. 5.) absolvi videatur.

a) Ita scilicet, et in graeco sermone, notante SVICERO, in *Lexico*, non angeli solum dicuntur *voēs*, *mentes*; sed ipse etiam Deus vocatur *ἀνεγάρτος νοῦς*, *pura et intemerata mens*: quod nimirum ab omni corporis commercio et contagione seiunctus sit. *Intelligentiarum* vero nomen in scholis Aristotelicorum maxime frequens est, utpote

pote quos, variis illis, quas statuebant, sphaeris coelestibus movendis, certas quasdam intelligentias affixisse, vel potius affixisse, constat.

§. XI.

Obiectum cognitionis, de quo iam (§. 8.) dictum, *Obiectum cognitionis generale.* sunt illa omnia, quorum cognitio datur, sive, uti generalissimo nomine vulgo dici solent, *cognoscibilia*: quorum innumerae quidem dantur species, immo myriades. Neque tamen omnino tam late patet, quam ipsarum perceptionum, ac speciatim cogitationum, obiecta: quippe quae (per n. 3. §. 9.) ad ea quoque extenduntur, quae nunquam existunt, quaeque ob id ipsum, quod non nisi merae cogitationes sint, vulgato nomine, *entia rationis* audiunt. At vero cognitionis, quae semper aliquid ab ipsa perceptione, vel re, vel ratione, distinctum requirit (§. 8. n. 2.), obiectum, proprie et accurate loquendo, esse nequeunt, nisi existentia, et quidem vel in praesens, vel in praeterito, aut in futurum: verbo, *actualia*, quae nonnullis dicuntur, et possibilibus tantum aut impossibilibus opponuntur. Quamvis enim non raro et talia cognoscere aut nosse dicamur, quae nullibi et nunquam existunt, aut extitura sunt: id tamen, partim improprie et abusive fit; partim et praecipue quidem, non tam respectu ipsius rei, quae tunc menti repraesentatur, quam quatenus illa ab aliis quoque, vel nobis ipsis, iam antea *actu* repraesentata fuit, aut iam repraesentanda proponitur.

Sic, ut unico exemplo, eoque, ut puto, valde perspicuo, rem illustrem; repraesentare mihi utique possum *purgatorium* illud, quod in ecclesia Romana statuitur, quodque inter rationis entia merito refertur: adeoque cognitione purgatorii gaudere dicor videorque. At enimvero, re accurate pensitata, manifestum est, me non tam ipsum purgatorium nosse, quam doctrinam Pontificiorum de purgatorio, quae utique *actuale* quid est: cum illis non per fictionem aut calumniam a Theologis nostratibus tribuatur, sed ab ipsis ore et calamo satis aperte et acriter defendatur. Eodem modo se res habet cum *monadibus* illis, quas novi, Leibnizianis, et *harmonia*, quae dicitur, *praestabilita*.

§. XII.

§. XII.

*Eiusdem
summa
genera.*

*Substantia
quid?*

*Quid ac-
cidens sive
modus?*

*Quid rela-
tiones?*

Actualia porro, quorum cognitio datur (§. 11.), cum et ipsa multifaria et infinita sint; generatim tamen ad duo recte referri possunt genera: res nimirum, et rerum relationes. *Rerum* nomine hic tam *substantias*, sive entia, quae seorsim, nec in alio, existunt, certe existere possunt, qualia e. g. sunt DEVS, mens, corpus nostrum vel aliud, coeleste aut terrestre, intelligo; quam *accidentia* sive *modos*, quae non nisi in alio ente existunt, nec possunt existere, ut e. g. figura, motus, cogitationes, eruditio, ac virtus. Per *relationes* vero, varios illos, qui menti subinde praesentes sistuntur, respectus seu habitudines, cum substantiarum et modorum inter se, tum modorum ad substantias et contra, tum denique ipsarum relationum; vel, ut clarius dicam, illa omnia, quae, non nisi post comparationem duorum aut plurium inter se, de rebus cogitamus, illisque tribuimus: quorum sum, praeter alia plurima, et ipsam, de qua agimus, cognitionem (§. 8.), etiam *possibilitas* et *impossibilitas*, ut quae semper relationem rei, quam cogitamus, ad existentiam infert, itemque *privationes*, quae dicuntur, et *negationes*, pertinent. a) Non plura autem, nec pauciora, generatim dari cognitionis obiecta, quam modo commemorata, ex eo facile demonstratur, quod omnis perceptio, adeoque et cognitio (§. cit.), vel passiva sit, vel activa; et haec porro, vel sine plurium comparatione, vel cum comparatione coniuncta (§. 2. 3.). Ut adeo obiectum cognitionis in genere non rectius exprimere queamus, quam per *res, et earum varias relationes*: prout etiam ab Excell. Dom. Praeside factum in illa definitione, quae ad §. 7. in scholio fuit annotata.

a) Hinc denuo patet, quo sensu, quae ratione, etiam non existentia, adeoque et possibilia tantum vel impossibilia, nosse vel cognoscere dicamur. Nimirum non aliter, quam in *sensu*, uti dicitur, *reduplicativo*,

cativo, five quatenus non existunt, et possibile aut impossibile sunt. Sic e. g. proprie loquendo, non cognosco montem aureum, aut plures mundos ab hoc nostro diversos, nec mundi aeternitatem: attamen novi, quod haec possibile vel impossibile sint. Et sic in ceteris.

§. XIII.

Reliquum est, ut varias et praecipuas, quae apud philosophos, aliosque doctores, passim occurrunt, cognitionis divisiones exponam, et quidem, quam fieri potest brevissime, sine exemplis, et absque mentione auctorum, solis fere definitionibus contentus. Et primum quidem, ratione *subiecti*, cognitio dividitur in *divinam*, qua nimirum DEVS infinita ^{1) ratione subiecti.} scientia omnes res, creatas pariter ac increatas, praeteri-
ta et praesentia, futura et futuribilia, ubique locorum, uno actu, cognoscit atque intuetur: unde haec cognitio, vocabulo satis trito, *omniscientia* dici solet; et *humanam*, de qua nobis iam sermo est, cuiusque triplex genus paulo post explicare constitui. Addi tamen, secundum antea (§. 10.) dicta, debent, cognitio reliquorum spirituum, nempe *angelorum*; et *animalium brutorum*.

§. XIV.

Quod ^{2) ratione obiecti.} attinet ad *obiectum* (§. 11.), cognitio variis ^{2) ratione obiecti.} totidem fere dividi potest modis, quot ipsius obiecti seu cognoscibilium dantur genera et classes. *a)* Atque adeo, praeter discrimen (§. 12.) iam indicatum, huc etiam spectat: quando *β)* nonnulli cognitionem tripartitam faciunt, nempe *rerum*, et *vocum*, ac *notionum*: qua quidem divisione *rei* vocabulum paulo aliter, quam in illa priori, sumitur, et generatim ea omnia notare debet, quae non sunt merae voces, aut notiones tantum; itemque *γ)* divisio in cognitionem *universalium*, qua nimirum ea menti repraesentantur, quae pluribus rebus communia sunt, et inde abstrahendo formantur, aut alio modo formata ad res vicissim accommodantur (conf. ab init. §. 8. dicta); et *singularium*

sive *individuorum*, quae unam tantum rem, eamque omni modo determinatam, menti praesentem exhibet: cuiusmodi praeter innumera alia, est cognitio sanctissimi SERVATORIS nostri, et Mediatoris inter DEVM et homines, Θεανδρώπου I. Tim. II, 5. Denique δ) ea, quae cognoscimus, aut tali sunt, quae scire tantum atque contemplari, non autem efficere possumus, saltem vi cognitionis, quam de illis habemus uno verbo: *scienda*, vel, ut in Theologia dicuntur, *credenda*: e haec cognitio dicitur *theoretica*, sive *speculativa* aut *contemplativa*; quae proinde solum naturam, affectiones, et causas rerum, respicit et circa illas versatur: aut ita sunt comparata, ut illa non solum nosse, sed et agere, et in nostrum aliorumque usum effectui dare possimus ac debeamus; verbo: *agenda*, quorum cognitio *practica* sive *activa* audit, b) et generatim in *instrumentalem*, *moralem*, atque *artificialem*, dispesci potest. Vt alias divisiones, in *cognitionem positivam* et *negativam*, οὐκ et διότι, et similes ad obiectum spectantes, iam praeteream.

- a) Conferri hic possunt, quae de obiectis operationum intellectus, et ratiocinationis, tradunt ROETENBECCIUS, in *Log. V. et N. qu. 17 - 25*; et THOMASIVS, in *Introd. ad philos. aulic. Cap. VII*; itemque, in *der Einleitung zur Vernunft-Lehre, c. 4.*
- b) Aliter quidem vulgo et ab Aristotelicis explicari solet haec divisio, dum eam a fine cognitionis petitam existimant; quae tamen explicatio falsa, aut certe incommoda, merito iudicatur: cum omnis cognitio, ratione finis, practica sit, et in usum nostrum ac aliorum converti debeat. Id quod pluribus exponit *dissert. ROETENB. de vulgari scientiarum divisione in theoreticas et practicas*, Altorf. 1698. habita.

§. XV.

3) ratione
causae et
originis.

Pergo potius 3) ad illas divisiones, quae *causam* atque *modum*, quo cognitio oritur et comparatur, respiciunt quarum variae quoque commemorari possunt. Sic nimirum a) cognitio a Cartesianis potissimum distinguitur in *connatam*, quae menti humanae a prima eius origine iam impressa sit, cuiusque illustre admodum exemplum ipsam divi-

Num

Numinis cognitionem afferunt; et *acquisitam*, quae, post
 nentis ortum et coniunctionem cum corpore, aliunde de-
 num, ipsa partim nostra opera et studio, accedit: quae divisio
 ero nullo idoneo nititur fundamento: cum nulla utique, ne ipsius
 uidem DEI, detur cognitio innata, prout dudum ab aliis, cum
 Theologis, tum Philosophis, demonstratum est, ut nihil ea de re
 sic addere sit necesse *a*). Melior veriorque est β) illa, qua alii
 tuntur, in cognitionem *immediatam*, qua nimirum mens se
 ipsam, suasque actiones et passiones, percipit, absque medio
 ut interventu alius cuiusdam rei; quae et *conscientia* stricto
 sensu nonnullis vocatur: et *mediatam*, quando scilicet mens,
 vel sensuum ope, vel rationis beneficio, rem cognoscit; qua-
 s cognitio est reliquorum omnium, tam in ipsa mente, quam
 quae extra eandem existunt aut fiunt, fieri possunt aut ne-
 ueunt. Nec minus γ) firmo stat talo discrimen cognitionis
passivae ab *activa*, utpote in ipsa experientia etensione in-
 erna, omni exceptione maiori, fundatum. (§. 2 et 8. n. 1.)
 Faceo δ) diversitatem cognitionis *vulgaris* et *eruditae*; item-
 ue ϵ) cognitionem *a priori* et *a posteriori*, in altera Sectione
 xplicandas: quemadmodum etiam ad hanc classsem maxime
 ertinet illa divisio tripertita, quam sub finem tractationis
 am propositurus.

a) Vid. quae de hoc argumento in compendio proposita sunt in
dissert. inaugur. de notionibus innatis, a Io. Ruperto, P. L. C. au-
 ctore, moderante itidem Viro Excellent. DOMINO PRAESIDE,
 1743. conscripta et defensa.

§. XVI.

4) Ratione *formae*, omnes fere illae divisiones locum <sup>4) ratione
 formae.</sup>
 hic habent, quae alias in doctrina de ideis usitatae sunt: quod
 eo minus mirandum, cum omnis cognitio, ut iam iterata
 vice (§. 7. n. 2. et §. 8.) monuimus, respectum ad perceptio-
 nem sive ideas habeat. Dividitur itaque hoc intuitu cog-
 nitio *a*) in *claram*, cuius ope rem ab aliis satis discernere, et

iterum oblatam sine difficultate agnoscere possumus; et *obscuram*, quae non sufficit ad rem agnoscendam et ab aliis discernendam. β) in *distinctam* et *confusam*: quae divisio duplicem admittit sensum, et vel ita explicari potest, ut cum altera illa priore quodammodo coalescat, nec nisi in eo differat, quod ibi quidem res et ideae singulae et seorsum spectentur; hic vero duae vel plures inter se comparentur: quae explicatio quoque usui loquendi quam maxime conveniens est, utpote quo *clarum et distinctum*, *obscurum et confusum*, quasi $\sigma\upsilon\upsilon\upsilon\upsilon\mu\iota\kappa\omega\varsigma$ coniungi solent: vel ita, ut subdivisio potius sit cognitionis clarae tantum, quo sensu *distincta* dicitur, quae partes rei, ex quibus constat, et plura, quae in ea distingui possunt, clare exhibet, sigillatimque menti praesentia sistit; *confusa* vero, quae contraria ratione se habet. Vnde simul patet, divisionem hoc modo intellectam ad ideas compositas tantum spectare, nec, quod ab Ill. WOLFIO, eiusque sectatoribus, factum, ad simplices extendi posse, quippe in quibus nihil ne mente quidem distinguere licet. α) γ) In *adaequatam* et *inadaequatam*: quarum illa rem eiusque naturam ita repraesentat, ut nihil in isthac cognitione deficiat, nihil abundet; cum e contrario haec vel plura, quam ad rem pertinent, vel pauciora, complectatur: unde nec omnino cognitionis nomine digna est (§. 8.). δ) denique huc etiam referri potest divisio cognitionis in *symbolicam*, quando res per verba tantum, aut alia signa, menti repraesentatur; et *intuitivam*, quae ipsius rei intuitu absolvitur. b)

a) Vid. quae de hac re, pro more, solide accurateque docet Celeberr. FEVERLINVS, in dissertatione supra ad §. 8. laudata; et in *specim. III. observ. eclectic. ex controversiis de Metaphysica Leibnizio-Wolfiana*, §. 2 et 3.

b) Quod discrimen ex instituto uberius enucleavit GOLLINGIVS, in peculiari dissertatione, sub praesidio Feuerliniano, Altorf. 1725. proposita.

§. XVII.

Solet etiam 5) cognitio identidem dividi in *utilem*, in- 5) *ratione*
utilem, sive *vanam* aut *supervacaneam*, et *noxiam*: quae divi- *finis et*
 fio, ex ipsis terminis satis clara, et per experientiam quoti- *effectus.*
 dianam satis, proh dolor! comprobata, a *fine*, sive potius
effectu, cognitionis est desumpta. Neque aliud spectant, qui
 cognitionem, aliam *vivam* et *efficacem* nominant, quae nimi-
 rum animum movet, et in ipsis vitae actibus ac negotiis hu-
 manis vim suam atque *ἐνεργείαν* demonstrat, qualis quidem
 omnis vera cognitio, praesertim practica, esse debet (§. 14. δ);
 aliam *mortuam* et *otiosam*, quae secus se habet, et in nuda spe-
 culatione aut noticia subsistens, nullum, neque ad felicitatem,
 neque ad infelicitatem vitae humanae, affert momentum.

Hanc distinctionem, ut alia plurima, pulchre explicat S. R. et Celeberr.
 WALCHIVS, in *Lexico Philos. h. v.*

§. XVIII.

Dantur denique 6) et aliae cognitionis divisiones, ratio- 6) *ratione*
 ne variorum, quae illam comitantur, *accidentium*. Ita ni- *acciden-*
 mirum α) satis usitate et frequenter cognitio dispescitur in *tium et*
veram et *falsam* α); prout scilicet cogitationes de rebus for- *concomi-*
 matae illis aut consentaneae sunt, aut dissentaneae: quae vero *tantium.*
 divisio nominalis tantum, sive distinctio potius est, quam re-
 alis atque vera divisio: cum falsa, quae dicitur, cognitio hoc
 nomine prorsus indigna sit (per definit. §. 8.). Vera autem
 et proprie dicta cognitio β) rectissime omnino dividitur in
solidam, quae et idoneis fundamentis nititur, et cum perspi-
 cientia nexus veritatum, habituque, qui inde sequitur, illas
 a dubiis et obiectionibus defendendi, coniuncta est; et *super-*
ficiariam, quando quis in nuda variarum veritatum noticia
 acquiescit, neque genuina singularum fundamenta tenens,
 nec de nexu earundem inter se sollicitus. Tandem γ) et
 postremo inprimis notari meretur duplex illud cognitionis
 genus, quod alias ipsis etiam veritatibus cognitis tribui solet.

Nempe cognitio, alia est ac dicitur *certa*, quando scilicet rem ita cognoscimus, ut contrarium illius verum iudicare nequeamus, sive, ut brevius dici solet, quae omnem formidinem oppositi excludit; alia *incerta*, ubi formido oppositi adhuc locum habet, et contrarium quoque eius, quod cognoscimus, cogitare licet: et haec quidem iterum in tres abit species. Etenim, cum omnis cognitio, quamvis incerta, rationibus tamen quibusdam nitatur necesse sit: (alias enim, et si nullae prorsus adsint rationes, *incognita* potius res dicenda est, quam *incerta*) rationes istae, aut mentem ad assensum magis movent, quam ad dissensum: et haec cognitio *probabilis* dicitur, sive *verisimilis*; aut magis ad hunc, quam illum: quae cognitio *improbabilis* et *falsisimilis* vocatur; aut denique rationes in utramque partem adsunt, et numero, et pondere aequales: et tunc cognitio *dubia*, stricto sensu, (in latiore enim significatione *dubium* idem est ac *incertum*) audit.

a) Spectat huc quodammodo notissimus ille PETRI POIRETI *tractatus de triplici eruditione, solida, superficiali, et falsa*, Amstel. 1692, 8. et postea saepius alibi quoque, editus.

SECTIO II SPECIALIS.

§. XIX.

Transitio.

ENarrata sic cognitionis natura in genere, eiusque variis divisionibus, quantum quidem per instituti rationem licebat, curiose explicatis, nunc speciatim ad illam cognitionis humanae divisionem evolvendam excutendamque accedo, cuius gratia hoc, quidquid est, laboris et descriptionis potissimum suscepi: quod quidem eo brevius ac strictim tantum, attamen solide, a me fieri poterit, cum fundamenta et principia iudicandi ratiocinandique in priori Sectione iam satis, uti spero, perspicue accurateque fuerint posita.

§. XX.

§. XX.

Dividit nimirum, ut iam in prooemio indicatum, Ill. Cognitio humana triplex secundum Wolfium et Baumeisterum.
 WOLFIVS, in *Discursu Logicae praeliminari, Cap. I*, omnem, quae in homines cadit, cognitionem in tres partes sive species: *historicam, philosophicam, et mathematicam*. *Historica ipsi appellatur cognitio eorum, quae sunt atque fiunt, sive in mundo materiali, sive in substantiis immaterialibus accidunt, §. 3; philosophica, cognitio rationis eorum, quae sunt vel fiunt, §. 6; denique mathematica, cognitio quantitatis rerum, §. 14.* Eundem fere in modum singulas istas partes descripsit V. C. BAVMEISTERVS, *Instit. phil. rat. §. 3. 5. 6:* nisi quod adhuc brevius historicam definiri posse existimet *cognitionem factorum; itemque philosophicam, cognitionem causarum*: quod vero nobis minime arridet: cum neque vox *facti*, ex usu loquendi, idem omnino notet, ac ea quae sunt vel fiunt; a) neque *causae* vocabulum in philosophia recentiore, praesertim Wolfiana, *rationi* aequipolleat, sed arctiorem habeat significationem, prout ipse Vir doctissimus, *Instit. metaph. §. 31. in schol.* observavit: ut merito hic valeat illud Poetae: *dum brevis esse laboro, obscurus fio*, vel certe ambiguus. Quamquam ipse Wolfius, quod ad priorem definitionem attinet, eandem brevitatem in seq. §§. 7. 8. et alibi passim, manifeste sectetur.

a) Facta enim opponi solent rebus: et quamvis res conditae omnes certo sensu *facta*, i. e. orta et producta, sint: attamen DEVS, qui tamen aequae est sive existit, factorum nomine comprehendi nullo modo potest, nec debet.

§. XXI.

Historicam porro cognitionem WOLFIVS subdistinguit in Historicae cognitionis subdivisio, et singularium partium nexus.
communem, sive factorum naturae, etiam rationalis, quae patent; et arcanam, nempe factorum naturae, quae latent, §. 21. Et illam quidem potissimum, ceu infimum humanae cognitionis gradum, §. 22. philosophicae; utramque vero ma-
 thema-

thematicae, fundamentum identidem praebere, demonstrat, §. 10. 18; adeoque cognitionem historicam philosophaturo non contemnendam esse, sed potius praemittendam, et constanter coniungendam, §. 11: quemadmodum et mathematica cognitio vicissim in philosophica magnam utilitatem habeat, illique summum omnino certitudinis gradum conciliet, et hinc cum eadem pariter coniugenda sit, §. 27. 28; ut adeo pulcherrimum et arctissimum inter tres istas humanae cognitionis partes vigeat connubium: tametsi limites utriusque, historicae nimirum et mathematicae, in philosophia recte constituendi, et fines quasi inter hanc illasque solícite regendi sint, §. 35. In quibus omnibus, a Baumeistero etiam maximam partem repetitis, nihil sane occurrit, cui nos non lubentissime subscribamus; praeterquam quod hoc unum, pace Virorum eruditissimorum, monendum videtur: illum tantopere, nec falso, iactatum cognitionis mathematicae in philosophia usum non esse universalem; sed ad cognitionem theoreticam maxime (§. 14. d.), nec hanc quidem omnem et in genere, sed tantum quatenus circa res finitas, et earum quantitatem, versatur, spectare: idque per ipsum cognitionis mathematicae fundamentum a Wolfio positum §. 13: cum e contrario in practica cognitione, saltem instrumentali, et praecipue morali, (loc. cit.) utpote quibus cum quantitate nihil aut parum est commercii, nullum etiam, vel certe rarius duntaxat, locum habeat. Sed haec iam diutius non moramur.

*Monitum
de usu co-
gnitionis
mathema-
ticae in
philoso-
phia.*

§. XXII.

Illud quoque $\omega\varsigma \ \epsilon\nu \ \pi\alpha\rho\acute{o}\delta\omega$ intactum relinquere, et sine nota dimittere non possum, quod BAVMEISTERVS quidem, a) §. 11. docet, cognitionis philosophicae obiectum esse res omnes in universum, vel, ut §. 17. loquitur, possibile esse philosophari de omnibus rebus, ne quidem theologicis

*An omnium
rerum co-
gnitio de-
tur philo-
sophica?
Negatur.*

et

et veritatibus revelatis, ipsisque adeo mysteriis fidei, exceptis: in quo valde omnino dissentio, et plures mecum dissentire credo. Equidem tritissimum illud, at saepe sensu carens, certe satis obscurum et ambiguum, *per se*, addidit Vir doctissimus, eoque indicare voluit, ex parte rerum saltem nihil obstare cognitioni earum philosophicae, cum omnes utique sua non destituantur ratione, quae proin etiam cognosci queat: et licet inde nondum sequatur, quod homines quoque huius cognitionis sint capaces; sufficere tamen, quod DEVS hac cognitione gaudeat: sicut etiam diserte monet in *schol. §. cit.* At enim, quod pace iterum V. C. dictum sit, meminisse debebat id, quod ipse §. 2. monuerat, cognitionem philosophicam *humanae cognitionis* esse speciem, adeoque extra mentem humanam, et in abstracto, nec dari, nec concipi debere. DEVM autem *philosophum* vocare, et infinitam eius rerum cognitionem sive omniscientiam (§. 13.) *philosophiae* nomine insignire, ἀκυρολογίαν, ne quid durius dicam, sapit, in philosopho minime ferendam: sive primum horum nominum auctorem, eiusque intentionem *b)*, sive loquendum *c)*, sive tandem ipsam rem et cognitionem philosophicam *d)*, spectare velis. Ut taceam, id quod etiam experientia satis testatur, hanc doctrinam *de possibilitate philosophandi de omnibus rebus*, pro communi, qua mortalium genus, proh dolor! infectum est, labe animique pravitate, variis abusibus et exorbitationibus ansam praebere, et ad fastum quodammodo incitare, a quo tamen ista philosophiae notio, ex mente Ill. Wolfii, §. 49, potius revocare debet.

a) Ipse enim WOLFIVS, in *discursu illo praeliminari*, huic placito, saltem disertis verbis, minime patrocinatur. Et, quamvis etiam possibilem esse doceat philosophiam Iuris, Medicinae, quarumcunque artium, §. 39: Theologiae tamen, et veritatum revelatarum, ne verbulo quidem mentionem iniicit.

b) Etenim Pythagoras, prout notissimum est, his noviter effectis nominibus vel ideo usus est, certe uti videri voluit, ut se et studium suum ac cognitionem a DEO, eiusque σοφία sive summa sapientia, discerneret. Vid. quae de origine vocis *philosophiae*, cum gram-

matica, tum historica, dicta sunt in *post. philos. de philosophia in genere*, supra ad §. 7. citatis, n. II -- X.

- c) Hic enim philosophiam inter partes eruditionis humanae numerat. Ecquis unquam, nisi vel praeiudicatas foveat opiniones, vel oratorio more loquatur, philosophiam extra philosophos, id est, homines, quaerit?
- d) Nimirum, prouti mox ostendetur, ad philosophiae notionem accurate exprimendam non sufficit cognitio rationis rerum sufficientis; sed opus etiam est, ut haec cognitio per ratiocinationem fuerit acquisita, quod in DEVM non cadit, docente ipso BAVMEISTERO, *Inst. Metaph. §. 817.*

§. XXIII.

Quaenam iure vel iniuria desiderentur in illa divisione Wolfiana.

Enimvero nunc ipsa divisio tripartita (§. 20.) paucis est expendenda, et, quid in illa iure desiderari posse videatur, indicandum. Non illud quidem iam urgere volo, novam esse hanc divisionem, et a Cel. WOLFIO primum, quod sciam, suppeditatam a): hoc enim utique praeiudicium redoleret, et vel odium, vel certe fastidium, placitorum summi huius Viri, rationi aequae contraria, et philosopho theologoque indigna, atque novitatis amor, aut sectae studium, quae in Praefatione vituperavi. Quin potius, siquidem vera et bona esset, eam, sicut alia Philosophi incomparabilis placita, ultro et ambabus, quod dicitur, manibus essem amplexurus. Multo minus reprehendere audeo, illam cognitionis diversitatem ad homines tantum vulgo relatam, quam alii tam late patere existimant, ut iure optimo omni spirituum generi communis esse statuatur: id quod, tantum abest, ut unquam admittere aut cuiquam largiri queam, ut contra vel rectissime, rei que pariter ac nominibus admodum convenienter, egisse iudicem excellentissimum divisionis Auctorem, quod eam ad cognitionem humanam restrinxerit non vero omnes promiscue spiritus attingere voluerit b)

Longe alia tamen utique sunt, et duo quidem potissimum quae, pace tanti Viri, monere licebit: quorum alterum *explicationem* divisionis memoratae, alterum *veritatem ac bonitatem* eiusdem, concernit: et de his iam porro breviter est agendum.

a) Nemp

a) Nempe tripartita divisio : duo enim priora membra , et divisio cognitionis in *historicam*, sive *vulgarem* et *communem*, ac *philosophicam*, omnino etiam ante Wolsium in scholis et scriptis philosophorum, aliorumque auctorum, iam usitata fuere. Vid. e. g. IO. FLENDERVS, in *Phosphoro philosophico, seu Logica Claubergiana contracta illustrata, Cap. I. §. 1. not. g.*

b) DEVS enim etiam est spiritus, et quidem omnium perfectissimus ac infinitus (§. 10.). Sicuti vero iam (§. antec.) monui, cognitionem philosophicam DEO satis incommode ac perperam tribui: ita multo minus historica et vulgaris eidem convenire putanda est: cum non solum usus vocum repugnet; sed etiam ipsa notio cognitionis historicae, statim evolvenda, qua nimirum NB. in *nuda* rerum cognitione, absque rationibus, et illa quidem sensibus acquisita, consistit: quorum neutrum de DEO, sine imperfectione, cogitare vel statuere licet. Quod argumentum, equidem non video, an, non modo a tirone, sed etiam veterano, metaphysices optime gnaro, tam facile dilui et everti queat.

§. XXIV.

Quod ad prius attinet, triplex illud cognitionis humanae genus, et inprimis discrimen historicae cognitionis a philosophica, non accurate, neque ipsi menti Celeberr. Auctoris prorsus convenienter, per definitiones videntur expressa; neque etiam satis patet, quo maxime fundamento ista divisio nitatur: quod tamen in omni divisione praecipue requiritur, si de bonitate illius vel ipsi iudicare, vel aliis eandem probare ac persuadere velimus (per princ. Log.). Equidem primo non immerito ab obiecto (§. 11.) desumpta videri possit, quod in historica cognitione sint *res et facta* (ita enim omnino brevius dicere licet §. 20. a); in philosophica, *rationes rerum et factorum*; in mathematica demum *rerum*, scilicet finitarum (§. 22.), *quantitas*. Verum potest tamen divisio eodem iure sic quoque intelligi, ut unum atque idem sit trium istarum partium obiectum, nempe *res vel facta*, sed diverso modo cognita: illic videlicet, *absque sensibus et ratione sufficiente*; isthic, *cum ratione*; hic vero, *secundum quantitatem*: ubi sane non tam obiectum, quam modum atque formam cognitionis, respicit, atque adeo ad illas potius divisiones pertinet, quae §. 16, quam quae §. 14.

Cur expositio divisionis non sit accurata?
Ratio prima.

recensentur. Et haec quidem explicatio posterior, nisi fallor, menti ipsius Wolfii magis videtur conveniens: ut, praeter alia, colligere licet ex verbis §. 17, in quo differentiam cognitionis mathematicae a philosophica et historica evincere nititur, quamvis irrito, ut sequentia ostendent, conatu. Vtuncque est, illud certe hinc patet, definitionem cognitionis historicae non esse accuratam, iuvari tamen facile corrigique posse adiectione unius alteriusve voculae, ut discrimen illius a philosophica clarius elucescat: si nimirum dicatur *cognitio rerum et factorum nuda, vel absque ratione*; haec vero, *cognitio rerum et factorum cum causis et ratione sufficiente*.

Philosophica cognitio non semper includit, aut supponit, historicam.

Ex quo porro perspicuum fit, minus recte dici, cognitionem philosophicam semper sub se comprehendere historicam, cui quippe illa potius opponitur; immo ne quidem hanc semper et ubique praecedere philosophicam, aut ab illa necessario supponi, a) uti quidem BAVMEISTERO visum, in demonstr. §. 9.

a) Scilicet quoad unam et eandem rem cognitam. Alio sensu enim cognitio philosophica omnino supponit historicam: quatenus nempe omnis cognitio humana a sensatione et experientia incipit, nec prius de rebus philosophari licet, quam variarum rerum cognitionem saltem historicam et vulgarem nobis comparaverimus. Exemplo rem illustrare libet, eoque ex philosophia Wolfiana petito. Sic nimirum Wolfius, aequae ac Leibnizius, saltem ex ipsorum persuasione, (vera enim et proprie dicta cognitio hic locum non habet §. 11. schol.) cognitione gaudet philosophica harmoniae praestabilitae: ast in illo quidem praecessit, certe praecedere potuit, cognitio eiusdem historica; hic vero, tanquam primus illius inventor, non nisi ratiocinando, i. e. philosophice, eam cognovit, quod tamen fieri non potuisset, nisi unionem mentis cum corpore, aliaque plurima, per experientiam ante habuisset cognita et perspecta.

§. XXV.

Ratio altera.

Sed hoc quidem leve fortassis videbitur monitum. Superest alius defectus, paulo maioris momenti: quod videlicet divisio minus recte, sive ab obiecto, sive a modo cognitionis, (§. 24.) tantum desumpta sit, quae tamen potius, vel certe simul, ad originem et medium cognoscendi respicere

re debbat, ipso etiam Wolfio non refragante. Nimirum *Media cognoscendi* *quot et quatenam sint?*
 o, vel, si mavis, tria in universum esse omnis veritatis co-
 gnoscendae media, *sensus*, et *conscientiam* seu *reflexionem*, quae
 o communi *experientiae* nomine comprehendi solent, ac
 nique *rationem* sive *rationandi facultatem*, notius est cer-
 usque, quam ut probatione indigeat. (conf. §. 15. β dicta)
 m vero, quae priori modo, nempe per *experientiam*, acqui-
 tur cognitio, illa ipsa nimirum est, quae Wolfio *historica*,
 iis *vulgaris* et *communis*, itemque *cognitio a posteriori*, au-
 t: prout statim ex §. 1. ubi fundamentum cognitionis
 storica proponitur, itemque §. 12. ubi hanc cognitionem
 per *experientiam* fundari repetit, manifestissime elucet. Vt me-
 to mirer, non in eadem definitione acquievisse Virum Il-
 lustrem, quam §. 2. iam dederat, ubi eam, quam dein §. 3.
 describit, cognitionem historicam vocavit *notitiam sensu et*
attentione ad nosmet ipsos acquisitam. Similiter ergo et phi-
 losophica cognitio non alia est, aut esse potest, quam quae per
 cognitionem acquiritur, et alias *cognitio a priori*, et a nonnul-
 tis *erudita*, appellatur. Et si vero BAVMEISTERVS hanc ipsam
 cognitionem historicam et philosophicam, respectu originis, di-
 versitatem peculiaribus theorematis demonstrare sategit, §. 7
 et 13: id tamen non omnino congruens videtur: cum neque
 omnium eorum, quae sunt vel fiunt, cognitio, praesertim ita
 simpliciter dicta et ἀνευ προσθήκης (§. 24), a solis sensibus
 et conscientia oriatur; nec causae rerum et rationes omnes
 et singulae tantum per *rationationem* cognoscantur: id quod
 facile exemplis probare, et contra demonstrationes V. C.
 ferere liceret, nisi chartae, quod superest, spatium satis an-
 gustum obstaret. Quin potius, cum in hoc primarium, si
 non unicum, discrimen utriusque cognitionis consistat; id
 ipsum etiam in definitionibus vel solum exprimere, vel certe
 reliquis adiungere praestitisset, et illam quidem ita describe-
 re, quod sit *nuda rerum et factorum cognitio*, eaque *sensuum*

et experientiae ope acquisita; philosophicam vero, quod sic cognitio rerum et causarum ex ratione profecta.

§. XXVI.

Notatur
ipsa divisio
ut inad-
aequata:

Haec, quae de expositione divisionis fuerunt monita, viam simul aperiunt ad alterum momentum, et ad ipsam illius bonitatem paucis diiudicandam. Ex Logicis constat, duo esse palmaria bonae divisionis requisita: unum, respectu *divisi*; quod adaequata esse debeat, i. e. nec plus, nec minus continere, quam in *diviso* reperitur: alterum, respectu *membrorum dividendum*, quae sibi repugnare debent, nec unum iam sub altero comprehendi. Vid. e. g. ipse BAVMEISTERVS, *Inst. phil. rat. §. 184.* Vtrique huic regulae adversari divisionem Wolfianam, facile demonstrari potest. Neque enim 1) omnes cognitionis humanae species completitur, adeoque angustior est *diviso*, et sic *inadaequata*. Ut de cognitione *theologica et revelata* nihil iam dicam, quae, ex usu loquendi, ab historica aequae ac philosophica et mathematica, et recte quidem, distinguitur: sane cognitio *relationum*, quae tamen alterum obiectorum cognitionis genus constituunt (§. 12.), etsi non omnium, (ipsa enim quantitas revera non nisi relatio est) at certe *possibilitatis et impossibilitatis*, itemque *negationum*, de quibus ibidem dictum, sub hac divisione minime continetur: quippe cuius membra solummodo circa ea, quae sunt vel fiunt, rerumque quantitatem, versantur (§. 20.); a quibus vero ea, quae non sunt ac fiunt, fieri vel posse aut nequeunt, toto coelo distare, unusquisque, etiam me non monente, intelligit.

Quia 1)
angustior
est *diviso*.

§. XXVII.

2) membra
non habet
ex omni
parte op-
posita.

Non magis 2) et cum altera regula consentit illa *divisio* tripertita: cum neque membra habeat ex omni parte opposita. Licet enim cognitio *historica* a *philosophica* omnino satis diversa sit, immo, secundum antea (§. 24. 25.) monita, eidem exactissime opponatur: *mathematica* tamen et
cogni-

cognitio quantitatis, sive obiectum, eiusque cognoscendi mo-
 um, spectes (§. 24), non est, nisi cognitio alicuius,
 quod est aut fit, vel cum, vel sine ratione; sive ad origi-
 nem respicere velis (§. 25.), itidem non nisi vel per sensus,
 vel rationis vi ac beneficio, comparatur, compararive po-
 test: adeoque quovis modo, nunc ad *historicam*, nunc ad
philosophicam, referri potest ac debet. Et quamvis Cel-
 solfivs, §. 17. bene sane et verissime docuerit, *aliud esse*
esse factum, *aliud perspicere rationem facti*, *aliud denique*
determinare quantitatem rerum: hoc tamen ad discrimen co-
 gnitionis mathematicae a reliquis vindicandum neutiquam
 sufficit: cum membra bonae divisionis non tantum inter se
 diversa esse debeant, vel, uti stylo Logicorum dicuntur, *dis-*
parata, sed *opposita*. Adhaec, si *quantitatis rerum cogni-*
tio peculiarem speciem efficere debeat; cur non et *qualita-*
tum varia et multiplex cognitio a cognitione rerum et causa-
 rum sive rationum secernitur? Ut adeo novo argumento hinc
 pateat, divisionem non satis esse adaequatam.

Duo haec, quae §. 26 et 27. continentur, monita, ex observationibus
 Excellent. DOM. PRAESIDIS, sua quoque iam fecit, publiceque
 proposuit, Clariss. M. Io. Guil. Schaubertus, in *Parte priore meditat.*
ad Logicam spectantium, num. 1.

§. XXVIII.

Ostensa sic et exanimata tripartitae illius divisionis a *Proponi-*
 Wolfio traditae, partim insufficientia, partim abundantia; *tur alia*
 nihil iam restat, quam ut tribus solum, quod dicitur, ver- *divisio co-*
 gnitionis
 gnitionis, aliam divisionem trimembrem, quam in prioris locum *humanae*
 tripartita.
 substituere in exordio pollicitus sum, quamque ad originem
 cognitionis spectare, sub finem §. 15. iam indicavi, pro-
 nomam. Scilicet in hoc negotio, et in explicanda diversa
 cognitionis origine, non solum ad *media cognoscendi* (§. 25.)
 respiciendum est; sed etiam simul ad *fundamenta* sive *princi-* *Principia*
ia: quorum itidem duo, vel, si mavis, tria in universum *cognoscen-*
 antur: *res*, et earum *ideae*, ac denique *doctrina*, sive in- *di quot et*
stitutio, *quaenam?*

Singula-
rum defi-
nitio spe-
cierum

Earum
nomina.

stitutio, vel, ut in Theologia dicitur, *revelatio*, eaque vel divina, vel humana. His rite perpensis, triplex omnino ratione originis, statuendum est cognitionis genus: unum, quando ipsas *res praesentes* per *sensus* aut *conscientiam* cognoscimus; alterum, quo ex *rerum ideis* alia haecenus incognita per *ratiocinationem* colligimus et comprehendimus; tertium, quando ex *institutione* vel *revelatione*, primum quidem *sensu*, vel externo, vel interno, postea vero etiam interdum *ratiocinando*, cognitionem acquirimus. Duo illa priora, communi nomine *cognitionis primitivae* insignire; sigillatim vero, illam quidem *cognitionem intuitivam*, hanc *ratiocinativam* vel *idealem*; tertiam denique et postremam *derivativam* aut *communicatam*, nisi fallor, satis conveniente appellare licebit.

§. XXIX.

Epilogus.

Animus quidem erat, hanc ipsam quoque divisionem paulo uberius explicare atque illustrare, et cum aliis divisionibus supra (§. 13 - 18.) enarratis, comparare, eandemque etiam ad singulas scientias et partes eruditionis, Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam, Philosophiam, Historiam, etc. applicare. Sed, quoniam modum praescriptum iam implevit immo transgressa est, haec qualiscunque exercitatio: filum hic abrumpendum est, eaque, quae supersunt, in aliud tempus reservanda. Fortassis etiam ipse Excellentiss. DOMINI PRAESES, cui pro fideli institutione, operaque mihi in praesens navata, decentes ago gratias, defectum supplebit, et reliqua alia occasione cum orbe litterato communicabit. DEO autem immortalis, qui solus omniscientia gaudet pro infinitis beneficiis, et viribus ad hunc laborem benigne concessis, sit

LAVS HONOR ET GLORIA IN AETERNVM.

PRAESE

PRAESES

D. IOH. ALBERTVS SPISIVS, P. P.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DN. AVCTORI RESPONDENTI SVO LINDNERO

S. P. D.

Perquam laudabile est institutum, quo cives Tui, in Aca-
demiis degentes, tenentur, ut, biennio exacto, specimen
studiorum et diligentiae, vel manu exaratum, vel typis
expressum, Patronis atque Evergetis suis exhibere et trans-
mittere debeant. Huic legi et mori tu quoque, Carissime
LINDNERE, obsecuturus, meo quidem suasu monituque, argu-
mentum Tibi tractandum sumpsisti, pro rerum et Auctorum, con-
tra quos disputas, dignitate et amplitudine, satis utique gra-
ve, ast viribus tamen Tuis neutiquam superius; idque etiam
nunc, meo sub moderamine, publice, et, quod spero, laeto suc-
cessu, defendere aggredieris. Equidem haud diffiteor, me in
corrigendo hoc Tuo specimine varia hinc inde de meo addidisse,
idque ad mentem meam placitaque, quae proponere Tibi visum
fuit, melius clariusque et accuratius exprimenda subinde con-
formasse. Id tamen omnibus, quorum interest haec scire, ex vero
et fide optima testari possum, Te dissertationem, secundum ideam
ac dispositionem, quam Tibi suppeditavi, a capite usque ad cal-
cem elaboratam mihi obtulisse, ne illis quidem exceptis, quae
chartae huic opellae destinatae angustia tandem addere vetuit.
Gratulor ergo Tibi hoc, quod nunc edis, industriae et profe-
ctuum documentum: gratulor etiam, et multo quidem magis,
ponam mentem et indolem, et insignem illum discendi ardorem,
quem mihi pariter in scholis Logicis et disputatoriis, atque aliis
doctoribus Tuis, attenta et assidua scholarum nostrarum fre-
quentatione abunde probasti: *DEVM* precatus immortalem,
ut gratia sua Tibi porro adsit, neque solum haec bona perpetua
praestet, sed et Patronos conservet ac conciliet, quorum favo-
re adiutus, et vitae academicae curriculum ex voto feliciterque
absolvere possis, et praemia tandem virtutis ac diligentiae uber-
tima iucundissimaque consequaris. Vale.

Monsieur,

LEs fruits, que produit ordinairement la diligence, ne restent gueres long temps en tenebres, et quoi- qu' ils semblent quelque fois être ensevelis, un jour vient qui les met dans leur plus grand lustre. Ce peri- ode est arrivé aujourd' hui, que Vous nous montrez ce que Vous avez recueilli de Vostre industrie. L' hon- neur et les applaudissements Vous accompagnent par- tout, et tous ceux qui Vous ont veu combattre don- nent à Votre merite ce qui lui est deu. Je Vous assu- re, mon cher Ami, que j' y prends toute la part possible, et que je me rejouis avec les autres de la victoire que Vous venez de remporter. Vous n' avez qu' à suivre la noble route que Vous avez prise pour atteindre le but que Vous Vous êtes proposé dans Vos études. Vous serez par là utile au Public en faisant Votre fortune, Vous comblerez de joye Vos chers Parents et ajouterez à l' estime qu' ont pour Vos belles qualités tous ceux qui Vous connoissent, et particu- lierement moi qui suis

Monsieur

Votre très-humble

et obeissant Serviteur,

C. S.

Cognitio

Cognitio, LINDNERE, doces, humana quotuplex,
Aptius et quo sit concipienda modo.

certo operam ordiris magnam, sed laude feracens.

Cognitio non heic intuitiva iuvat;
quam ratiociniis formas, iunxisse videris

Derivativae: Laudat opella Virum.

quid moror? Applaudunt reliqui: sed rauca Camoena

Tangere vix laudes audet, AMICE, TVAS.

herba precor bona: Vivito, Vivito LINDNERIANA

MVSA; celebrator laude subinde nova!

Officii causa, aequae ac POLITISSIMO et EGREGIE DOCTO
DOMINO AVTORI RESPONDENTI

mentis suae observantiam ut exhibeat testatam, levra ista inserit

GOD. MICHAELLES. Opp.

Seis möglich, daß Du schon auf den Catheder steigest?

Ists möglich, daß Du schon des Fleißes Früchte zeigest?

Was man von DEINEM Wiß und Fleiß geprophezeit;

kommt heunte mir zur Lust zu seiner Würcklichkeit.

Dem Wohl-Edlen Herrn Respondenten gratuliret zu dem wohl abgelegten Specimine

Johann Michael Friderich Lochner,

der Rechten Einer. Oppon.

Ein Freund! daß Du DIR Mühe gabest,

Die Wissenschaften zu versteh'n,

ist diese Probe deutlich seh'n.

Dun daß Du auch ein Zeugniß habest,

Wie sehr DEIN Ruhm auch mich erfreut,

Der DIR durch DICH selbst angedeiht;

So soll, wirds meinem Wünschen glücken,

Der Himmel DIR nur Wohlsenn schicken.

Als ein Zeichen seiner aufrichtigen Freundschaft, wollte dieses wenige dem Wohl-
Edlen und Wohlgelehrten Herrn Verfasser dieser gelehrten Abhandlung benezen

Joachim Philipp Georg Panzer, aus Sulzbach.

Stud. Phil. et Theol. Opp.

C'est veritablement connoitre la science,
 Que d' ainsi terminer le plus cruel combat
 De la division de notre connoissance.
 Même la Philosophie, *mon cher*, vous donnera,
 Comme vous le meritez, ses applaudissemens.
 Et moi, je vous presente aussi mes agrémens.

*Puisque personne n' en doute, que ce soit la marque la plus vraie d' une
 amitié sincere, que de montrer sa joie sans le teint fardé, à cause
 du savoir des Amis, dont nous savons la fidelité: ces lignes vous
 apprendront sans peine, que je suis le plus parfaitement qu' il est possible*

Monfieur

mon très cheri Frere

Votre

très fidele Ami

HERMANN SPERL

du Palatinat Superieur,

Etudiant en Philosophie et Theologie.

